

*N.* 13.

DECLARATIO ET ASSERTIO  
DOCTRINAE ECCLESiarVM EVANGELICARVM  
DE  
**F I D E**

TAMQVAM  
**FONTE BONORVM OPERVM  
VERAEQVE VIRTVTIS**

---

QVAM  
B. C. D.  
PRAESIDE  
VIRO SVMME VENERABILI EXCELLENTISSIMO  
DOCTISSIMO

**IOANNE AVGVSTO NOESSELT**  
THEOLOGIAE PROFESSORE ORDINARIO

FAVTORE AC PRAECEPTORE SVO  
SVMMO PIETATIS CVLTV PROSEQVENDO

DIE XVII. IVLII A. MDCCLXVI.  
PVELICO ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIET

AVCTOR  
**CAROLVS FRIDERICVS REICHELHM**  
VCARO-MARCHICVS  
S. L. CVLTOR.

HALAE MAGDEBVRGICAE,  
APVD IOANNIS CHRISTIANI HENDELII VIDVAM. (5)

NO. 10. 1710  
HONORABILIS VIRI  
MAGISTRI JOHANNIS GILGARDI

PH. D.

PROFESSORIS  
MAGISTRI JOHANNIS GILGARDI  
MAGISTRI JOHANNIS GILGARDI

PH. D.  
MAGISTRI JOHANNIS GILGARDI  
MAGISTRI JOHANNIS GILGARDI  
MAGISTRI JOHANNIS GILGARDI

MAGISTRI JOHANNIS GILGARDI  
MAGISTRI JOHANNIS GILGARDI

MAGISTRI JOHANNIS GILGARDI  
MAGISTRI JOHANNIS GILGARDI



V I R O  
CONSULTISSIMO, PRUDENTISSIMO,  
AMPLISSIMO,  
D O M I N O  
FRIDERICO AVGVSTO  
REICHHELM

REI PVBLICAE HALENSIS SENATORI

CELEBERRIMO MERITISSIMOQVE

FIDEICOMMISSI REICHHELMIANI

ADMINISTRATORI BENIGNISSIMO

PATVELI AC PATRONO SVO  
OPTIMO.

PRIMITIAS  
HASCE ACADEMICAS  
IN  
PIETATIS GRATIQVE ANIMI TESSERAM  
ADDITA  
OMNIGENAE SALVTIS PROSPERITATISQVE  
APPRECIATIONE SINCERRIMA  
SACRAS ESSE VVLT

AUCTOR  
CAROLVS FRIDERICVS REICHHELM.



*Quae enim maior mihi, VIR CONSULTIS-*  
*SIME, PATRONE OPTIME, obser-*  
*vantiam aduersus TE meam publice signifi-*  
*candi opportunitas accidere potuisset, quam cum hunc ego, qua-*  
*lis is cunque est, studii mei academici prope ad finem perducti*  
*foetum, iam in lucem proferre audeo? Offero igitur TIBI hanc,*  
*quam conscripsi, dissertationem, tum non dubitans per aequita-*  
*tem TVAM, quin mediocritati harum plagularum eam iudicii*  
*tributurus sis indulgentiam, quae tribui solet primum scribendi*  
*periculum facientibus; tum eo insigniorem mihi gratulans, quae*  
*his ipsis e splendidissimo nomine TVO accedet, commendationem.*  
*Neque vero offero TIBI eo consilio, quasi me posse aliquid, par*  
*TVAE in me beniuolentiae, grati animi testimonium edere exi-*  
*stimem, cum prope sciam, ut ego re ipsa TVA de rebus meis*  
*merita referre TIBI minus idoneus sum, ita etiam fore, ut ea*  
*satis conuenienterque celebraturum me verba omnino deficiant.*  
*Vohui tamen TE non sine omni meae in TE pietatis monumen-*  
*to esse, ut, si quando vel maximo interuallo disiunctum esse abs*  
*TE fata me iusserint, haberes certe aliquid, quo mei memo-*  
*riam ita quidem reuoces, ut tantis me beneficiis ornasse, TE non*  
*prorsus poeniteat. Ex quo enim & studiis iuuenilibus ad for-*  
*mandum ingenium in schola operam dedi, & hanc deinde salu-*  
*taui*

tavi academiam : tanta cum cura commodis meis inferuisti, ut  
quilibet dies noua testimonia ferret, quam mihi bene cuperes, nec  
vnquam mihi deesset, quod ad studia subleuanda mea feliciter-  
que prosequenda faceret. Quare huius temporis recordatio, per  
se mihi longe iucundissima, semper eo magis animum mulcebit,  
cum TVORVM tot in me meritorum adiunctam habeat memo-  
riam, quae ut in animo meo exolescat, fieri aequè minus poterit,  
ac amici exoptatissimi memoria e mente nostra excidere, nouis  
veluti alimentis quotidie nutrita. Haec erga TE voluntas mea,  
PATRVELIS AETERNVM DEVENERANDE, quemad-  
modum nullam vnquam deminutionem patietur : sic votorum  
meorum, quae supplex ad Deum O. M. missurus sum, summa  
haec erit, ut saluum TE cum TVIS ac incolumem ad seros vs-  
que annos seruet, bonisque TVIS perennitatem concedat. Vale,  
deliciae CONIUGIS HONORATISSIMAE, decus familiae, ci-  
uium voluptas; viue his omnibus, viue quoque mihi, beneficio-  
rumque TVORVM cumulo hoc vnum addas velim, ut, si dignus  
TIBI videor, fauore, quo hucusque solitus es, eodem & in poste-  
rum complectare,

VIR CONSVLTISSIME, PRVDENTISSIME,  
AMPLISSIME  
PATRVELIS AC PATRONE OPTIME.

TVI

obseruantissimum  
C. F. R.





§. I.



Quemadmodum nullum disciplinarum genus unquam fuit, in cuius argumento explicando prorsus omnes consenserint; quod quidem ita mirum non videtur per magnam non modo ingeniorum diuersitatem, sed etiam propter conuersiones cognitionis humanae, quae semper tempore prodeunte noua incrementa capit: sic similem sortem nacta est doctrina illa, sanctior diuinitusque reuelata, de cuius partibus singulis explicandis nulla aetas est, quin tulerit inter se disceptantes. Etsi enim ex vno codicis diuini fonte vniuersae religionis christianae decreta hauienda sunt; tamen, cum ratione ornauerit homines sapientissimus eorum conditor, non iussit eos, omni rationis vsu abiecto, veluti coecos ad haec ipsa oracula accedere, sed commendat Christus ipse τὸ ἐγεῖναι τοὺς γενομένους. Fit autem non raro, vt secus, quam oportet, adhibeatur, & mens humana sibi sumat ultra, quam fas est, sapere; quare, neglectis rectae interpretationis legibus, imbuti Philosophiae principis vel decretis, se multi ad examinandas sacras scripturas accingunt, & si qua inueniunt, quae aliena esse ab eo putent, quod ratio imperat, ea vel statim abiciunt, vel eo vsque torquent, vt opinionibus suis respondeant. Huic deinde explanationi superstruunt systema suum; & denique eo audaciae procedunt,

A

2 *Declaratio & assertio doctrinae ecclesiar. euangelicarum*

dunt, ut aliis sua obrudant, eosque ineptos existiment, qui sanam sacrae scripturae doctrinam sequuntur. In his alienis a mente Dei interpretationibus, quibus laceratur scriptura, quis non vider quarendum esse fontem innumerabilium errorum, qui in coetum christianorum diffusi, non modo priuatas dissensiones, ne dicam odia, conflagrant, sed & sacrae rei publicae nauim turbulentissimis veluti obiecerunt procellis? cuius rei fidem facit omnium temporum historia. Quum igitur tot & tanta pericula gignant pestiferi illi errores, a puritate autem doctrinae singulorum non modo Christianorum, sed vniuersae ecclesiae salus pendeat: patet, cuiusuis viri boni esse, quidquid ipsi virium est, conferre ad ecclesiam ab errorum feruitute liberandam, simulque dubium non est, qui in istis depellendis operam suam collocent, egregie de hac posse mereri.

§. II.

Cauendum tamen in omni hac causa duplex videtur vitium. *Vnum* eorum, qui vana ducuntur gloriae cupiditate, &, ut admirationem sui excitent apud alios plusque quam ceteri sapere videntur, facile in hac vel illa re a populari sententia discedunt, leui saepe discrimine, qui, nisi amarent nouarum rerum auctores esse & inter ingenia acuta celebrari, nunquam in istam contentionem incidissent. Quemadmodum vero ii, qui, nulla salutis publicae ratione habita, suis tantum commodis student, recte in malis ciuibus numerantur: ita etiam, qui nomen tantum & tamam in causa religionis exequenda quaerunt, de veritate ipsa parum solliciti, male officio suo satis faciunt, nec digni sunt, quorum strepitus audiatur. *Alterum* vitium magis quidem tolerabile est, teste tamen historia, infinita rei sacrae detrimenta adtulit, estque in quadam praecipitania, cum quis iudicium suum de aliqua re non potest cohibere, donec eam maturo examini subiecerit, sed statim pro libidine reprehendit non modo, sed publico contemptui obicit, quae ne bene quidem intellexerat. Quod excusari nullo modo potest. Ut enim taceamus, quam per inanes has controversias tempus teratur, ipsique veritati per istam temeritatem pessime consulatur apud alios: quisquis, quantum fieri potest, pacem Ecclesiae quaerere atque concordiam

cordiam tenetur, neque novas serere controverſias, cum iam ſatis concuſſa ac in tot partes diuiſa ſit Eccleſia, quae pace ſtare & florere deberet. Praeterea impudentis eſt, ea, quae publica auctoritas ſigillo quaſi ſuo confirmauit, cum ſobrium non adhibitum eſt & accuratum examen, laeſere tamen diſcretis que euerrere velle. Non quidem ſumus ii, qui humanis decretis arbitremur religionem regi debere, quin proſitemur potius verbum Dei vnicam religionis normam eſſe: verum cum necesse ſit, publicis confeſſionibus diſtingui vnum coetum ſacrum ab altero, efficitur, non licere, priuato nomine, quidquid velis, mutare in doctrinis eius, cuius nomen proſiteris, eccleſiae, quas ſemel S. literis conformes eſſe tacite declarati, multo minus tamquam Pythio oraculo alia imperare. Atqui per contortas eiusmodi & a mente eccleſiae alienas interpretationes, quibus vera laebefactantur, violatur pax eius, minuiturque auctoritas publica, quam vtramque tueri & rei ipſius grauitas & religio poſtular. Quid ergo poteſt inconfideratius, ne impudentius dicam, eſſe, quam doctrinam, cuius vim non recte perſpexeris, in erroribus ponere, immo tamquam ineptam ridere?

§. III.

Atqui hanc iniquitatem expertus eſt quoque nobiliſſimus ille locus de *Fide in Ieſum Chriſtum*, de quo etſi vniuerſe ita praeclare expoſitum eſt a veri Euangelii doctores, vt, qui his aliquid addere velit, garrere magis quam docere videretur; tamen non forte vani ſumus, qui ſperemus: eam huius loci partem, quae eſt de fidei vi ad recte facta & veram virtutem, vel poſſe adhuc paullo diligentius excuti, vel nobis tamen poſt tantam meſſem aliquod veluti ſpicilegium ſuperere. De cuius doctrinae pondere ſummaque neceſſitate vt ante omnia conſtet, perſpici nullo negotio poteſt, quantum perturbetur omnis theologiae ſcripturae compages, cum vel in hac vna parte ab institutione ſacrorum librorum diſceſſeris. Si enim ad vnam e reuelatis doctrinis euerrendam ſufficiunt argutiae; ceterae omnes, quibuscum coniuncta eſt, vinculo rupto, ſubito caſu ruent, omniſque tandem Scriptura ingenii laſciuientis tyrannidi ſubiicietur. Iam niſi ab vna fide omnis recte factorum, qualia Deus po-

4 *Declaratio & assertio doctrinae ecclesiar. euangelicarum*

stular, dignitas reperatur, partim ipsa fides longe aliena forma induetur, partim, sublata meriti Christi vi atque necessitate, nostra merita iactabuntur, & illa nobilissima & Christianae religioni quasi propria doctrina: de gratuita beniuolentia Dei euertetur. Cum igitur tanta sit huius doctrinae grauitas, postulare videtur vberiorrem explicationem, vt, illam Euangelicarum Ecclesiarum doctrinam vere sacrae scripturae argumentis niti, luculentius intelligatur. Habebit autem disputatio nostra partes duas. *Vna* erit declaratiua, vbi, quae sit ista fides & quae bona Opp., de quibus sermo nobis est, definiemus atque deinde ipsam subiungemus sententiae nostrae expositionem. In *altera* parte colligemus praecipua argumenta, quae ad sententiam hanc confirmandam, duci e sacra Scriptura possunt. Argumenta vero, quibus ad persuadendam contrariam opinionem aduersarii solent vti, obiter conuellentur.

S E C T I O I.

DE VERO SENSU PROPOSITIONIS:  
FIDEM ESSE VNICVM FONTEM BONORVM  
OPERVM ET VERAЕ VIRTVTIS.

§. IV.

Cum igitur propositum nobis sit, primum ipsam quaestionem constituere, atque notionem explicare, quae hic & Fidei & bonis Opp. subiicienda sit: *Primum* quid bonorum operum ac virtutis, deinde: quid fidei vocabulo hic significetur, docebimus, vt integer sensus huius, quam defendimus, propositionis pateat. Iam de *bonis operibus* vel recte factis vsu venit in scholis theologorum obseruari: actionem, de cuius bonitate vel prauitate quaeritur, vel considerari posse in se, neglecto eius modo, agentis consilio & ceteris; vel secundum omnes *negotios*, & agentis animum. Actionem itaque, quae sit quomodocumque ad legis praescriptum, bonam, quae ei contraria est, malam *materialiter* adpellare solent. Ad *formam* vero bonae actionis non modo requirunt, vt cum lege vniuersae consentiat, sed vt eius etiam singulae partes legi & prorsus quidem

quidem respondeant. Patet ex his, posse aliquam actionem in se bonam esse, quae tamen, si rem ad viuum refereas, non est, aut ut aliis verbis utar, debere discrimen inter recte facta *latisioris & angustioris significationis* constitui. Enimvero cum sacra scriptura de recte factis loquitur, non satis habet postulare legitimas illius superioris generis actiones, sed eius disciplina longe seuerior est. Nam Deum vult omni animo, mente ac voluntate amari Matth. XXII, 37., atque illud praeceptum tamquam primum & maximum sanxit, a quo cetera omnia pendeant; ipsam quoque prauam libidinem in peccatis numerat. c.V. 22 sq., eumque, qui omnes leges obseruauerit, sed violauerit vniam, ait deliquisse aduersus omnes, lac. II, 10. Et cum in religione Christiana quaeritur: quomodo gratiosi simus Deo & perpetuo studio sanctitatis reportemus praemia sempiterna: non hic quaerimus de honestate actionum vniuersa, sed de iis, quas Deus praemiis ornare decreuerit. Atqui, secundum ea, quae diximus, non nisi tum consequimur hanc Dei beniuolentiam & mercedem, cum & toto animo ac propter Deum bene agimus, & profus s. exacte vniuersas leges diuinas sequimur. Quare cum de *bonis operibus* loquimur, non de actionum bonitate in se, sed de earum conformatione ad praemia a Deo accipienda, non de honestate earum, sed pietate, non de qualicumque obseruatione legum diuinarum, sed de absoluta obedientia quaeritur \*).

§. V.

\*) Sic APÖLOGIA AVG. CONFSSIONIS loquitur loco III. pag. 84.: *Quamquam CIVILIA OPERA h. e. externa opera legis sine Christo & sine Spiritu S. ALIOVA EX PARTE fieri possunt, tamen apparet: illa, QVAE SVNT PROPRIE LEGIS DIVINAE, h. e. affectus cordis erga Deum, qui praecipuntur in prima tabula, non posse fieri sine Spiritu S. Sed aduersarii nostri sunt suaves Theologi. Invenitur secundam tabulam & politica opera, primam nihil curant, quasi nihil perrineat ad rem, aut certe tantum externos cultus requirunt. Illam aeternam legem & longe postquam supra omnium creaturarum sensum atque intellectum: DILIGES DOMINUM DEVM TVVM EX TOTO CORDE, profus non considerant. Et FORMYLA CONCORDIAE solid. declarat loco IV. p. 701: Eorum OPERVM, inquit, QVAE RE VERA BONA SVNT, ET DEO PLACENT, QVAE ETIAM DOMINVS TVM IN HOC*

## §. V.

Constituta hac quaestione, ne nobis molestus sit quispiam, qui dicat, nos hac ipsa declaratione discrimen inter bona Opp. non ex fide profecta & inter peccata tollere. Ut enim hanc accusationem praeuenteremus, caute sub initio sumimus, bonum Opus uniuerse vel latius dici posse omne id, quod conueniat cum lege; quare peccatum recte dicitur omne id, quod legi contrarium est. Non digni sunt igitur copiosa refutatione, qui exemplorum ex antiquitate gentilium veluti nube nos obruunt, Socratis, Aristidis, Caronis, Tullii, Senecae, aliorumque, qui pietate, animi constantia & moderatione, amore patriae, iustitia, aliarum virtutum laude fuerunt conspicui, nec possunt a crimine calumniae liberari, qui tantam nobis affingunt austeritatem, ut, contentis his clarissimis viris, eorum facta & virtutem eodem loco habeamus, quo Herostrati, Catilinae & similium facinora, qui, summis addicti flagitiis, aeternam memoriae suae maculam adaspererunt. Quam calumniam non miror nuper repetitam esse a VOLTARIO\*), cuius est quidem ingenio digna, hoc miror: aliis viris doctis & prudentibus in mentem venire potuisse hanc de nostra sententia suspicionem. Nam si vel non legissent AVGVSTINI responsum in Opere contra *Julianum* & alibi, quod tamen erat aequum, cum vellent pronuntiare de illo AVGVSTINI: *infidelium opera splendida peccata esse*: ita in vulgus nota sunt, quae nostri aduersus hanc accusationem dixerint, ut me paene pudeat tam trita repetere. Quae si legerint, quid est, quod tamen illam stultitiam nobis obiciant? si minus, quomodo possunt ferre de nostra sententia iudicium, qui ne eam perspexerint quidem? Aut quomodo ita iniqui esse, ut tantum stuporem tribuant nostris, quibus non venerit in mentem, quam distent virtutes Aristidis aut Caronis a Catilinae vel similium flagitiis? AVGVSTINI quidem illud:

*infide-*

*TVM IN FVTYRO SECVLO VVLT REMYNERARI, mater & fons est ipsa fides. Sed paullo ante p. 700. definiuerat VERE BONA OPERA non esse, quae quisque bona intentione ipsemet excogitet, aut quae secundum humanas traditiones fiant, sed ea, quae Deus ipse in verbo suo praescripserit.*

\*) *Dictionn. philosoph. art. fausseté des vertus humaines. p. 194.*

infidelium opera peccata esse, vereor ut recte intelligant. Neque enim non agnoscit gentilium virtutes, quippe qui & ipse quasdam, veluti Polemonis continentiam, tanti facit, ut confiteatur non humano operi sed diuino, non illis sed ipsi Deo eas tribuendas esse. At propterea illis negat recte facta & veras virtutes, quod quae bona sunt non bene s. non recto sine faciant h. e. ad se, non ad Deum omnia referant \*). Et quamquam fatius fuerit, quod non diffitemur, abstinere ab illo loquendi modo, qui paullo durior est & facile potest fecus, ac volumus, intelligi: tamen non magis inepte locutus est AVGVSTINVS, quam nostri, cum, recte & ad S. scripturam accommodate, negant dici debere: quod bona opera sint ad salutem necessaria, etsi necessitatem studii sanctitatis satis agnoscant, nec putent nullum discrimen esse inter ea, quae homo pro libidine sua, quaeque secundum legem diuinam facit, vel quam ipse PAVLVS, qui Deorum cultores dicit Ephes. II, 12., quamquam is alibi proficitur Rom. I, 19. sq. II, 14. eos recte Deum idque quod rectum est, cognoscere potuisse. Aures quidem nostrae non nisi propterea offendentur hac Augustiniana propositione, quod peccati vocabulum accipiamus pro populari loquendi consuetudine, quae actiones bonas dicit, quatenus conspicuus est eorum cum diuina lege consensus, nec, quo animo editae sint, vel quaerit vel perspicit. Sed, cum Scripturae *inest* *Beata* plus requirat quam externam actionis ad leges

\*) Nolumus hic quidem ipsa AVGVSTINI loca adponere, cum praecipua, quae dictis nostris fidem faciunt, collecta sint ab HENR. NORISIO, Romanae Ecclesiae purpurato, in *Vindiciis Augustinianis* Cap. III. §. 4. p. 27 sq., quae sunt adiectae *Historiae Pelagianae* eiusdem NORISII, & a MARTINO CHEMNITIO nostro in *examine concilii Tridentini* Part. I. Loco VI. Sect. 2. pag. 138 seq. Ceterum in eundem sensum FORMVLA CONCORDIAE p. 700. eandem AVGVSTINI propositionem interpretatur: *Esti opera illa, quae ad conseruandam externam disciplinam faciunt, (qualia etiam ab infidelibus & non ad Deum conuersis hominibus fiunt), suam coram mundo dignitatem & laudem habent, & temporalibus quibusdam praemiis, in hoc mundo, a Deo ornantur: attamen, CVM NON EX VERA FIDE PROFICISCANTUR, REVERA CORAM DEO SVNT PECCATA h. e. PECCATIS CONTAMINATA — — propter naturae humanae corruptiorem, & quia persona cum Deo non est reconciliata.*

§ Declaratio & assertio doctrinae ecclesiar. eaangelicarum

leges Dei conformationem, pater: AVGVSTINVM, qui secundum scripturas iudicabat eam rem, secundum eius, non secundum nostrum loquendi vsum pronunciare debuisse.

§. VI.

Ex his ita dictis facile natura verae *Virtutis* intelligitur. Videtur autem virtus generatim definiiri debere per maiorem quasi facultatem vel habitum recte agendi, seu perpetuum recte agendi studium. Hinc perspicuum est, vti recte factorum, sic etiam virtutum duplex genus dari, *vnum*, ad quod vel naturae vires sufficiunt, quod Deo tamen non plane placet, cum perfectione sua, quam verbum Ipsius postulat, destitutum sit: atque huius generis virtutes asseri possunt irrogenitis; *alterum*, quod non nisi per gratiam Spiritus S. inhabitantem effici in homine potest, Deoque placet, non propter internum quidem pretium, sed propter imputatam Christi obedientiam perfectissimam, ab homine sibi applicatam: atque hae sunt virtutes, quae tantum in renatos cadunt. Ex hoc constituto discrimine iterum per se patet, non esse nobis pugnam cum iis, qui cum absentia fidei consistere virtutes quasdam posse defendunt. Bonum quidem agnoscimus, vbiunque reperimus, nec viros bonos minus existisse confitemur inter Deorum cultores, quam inter Christianos. Sed vt *verae* h. e. probatae Deo virtutes sint, non satis est, vt honestate, sed vt vera pietate contineantur & e recto fonte scaturiant quasi, quem fidem esse postea docebimus.

§. VII.

Ac istud *fidei* vocabulum sensum quodam modo incertum habet; quare operae pretium erit, exponere varias huius vocis significationes, & quae in nostra propositione vnicè obtineat, ostendere. Nempe *primum* satis constat *fidem* saepenumero, accipi pro virtute ea, quae est in seruandis promissis, quae e. c. solet tribui Deo, quum, fallere nescius, quaecunque in S. literis promissit, certissime facit; quam virtutem vulgo solent Dei veracitatem seu veritatem internam appellare. Obuia est haec vis *fidei* apud Paullum, Rom. III, 3. vbi ille: *num nostra*, inquit, *perfidia Dei fidem poterit labefacere?*



Etare? Iam ad illam quaestionem: sitne ad bonum opus, fides in hac significatione necessaria? facilis est responsio. Modo consideremus ea lege generatos nos esse, ut Deum supremum Dominum nostrum agnoscamus, eiusque cultui omnem ita consecremus vitam nostram, ut per quaeris a nobis facta honor ipsius atque maiestas celebretur. Atque hoc ipsum est officium, quod nos quam sanctissime expleturos esse Deo in baptisate sacro promissimus. Inde efficitur necessario, si eiusmodi velimus bona Opera praestare, quae sint ad voluntatem Dei composita eique placeant, ut semper nobis ob oculos versetur promissum istud, & ut e cura fideliter illud servandi omne proficiscatur sanctitatis studium, alias verae religionis pietatisque in Deum praeclaro nomine plane indignum erit. Quid vero hoc aliud est, nisi ex fide bene agere? Si porro cogitetur, in neminem cadere vere bona opera, nisi qui & quatenus sit in statu gratiae, quod infra pluribus evincemus, clarum est, cum status gratiae sit in conjunctione cum Deo, ad recte facta requiri, ut, qui ea suscipit, sit cum Deo coniunctus; qualis esse nequit, nisi servata quam Deo dedit, fide. Sed si eum vellemus propositioni nostrae sensum vindicare, qui quidem ex hac fidei notione existeret, cum iis facere videremur, qui fidem in sola ponunt obedientia praeceptis diivinis praestita, a quo errore alienissimi sumus.

§. VIII.

Missis igitur hac, videamus, quomodo in hac causa necessaria sit fides, quae & quatenus continetur certa persuasione de eo, quod aliquid sit legi diivinae consentaneum s. rectum; quam bono operi deesse non debere perspicuum est in primis e loco Paullino Rom. XIV, vlt., cuius verum sensum breuiter vindicare nostrum esse videtur. Constitunt vero haec verba: Πάν ὃ ἐν ἐν νόμοις, ἀπαγορεύεται ἐστίν, aliquam partem adhortationis, qua Romanis Apostolus aequum suader iudicium de iis, qui fide erant infirma, h. e. religioni sibi ducebant res plane liberas, sibi neque interdictas neque praeceptas, e. gr. ciborum quorundam usum, a quibus quidem olim vel per maiorum traditiones, vel per legem ritalem Mosaicam arcebantur Iudaei; cuius legis in N. Test. auctoritas prorsus erat sublata.

B

generis

generis hominibus, qui se adhuc caerimoniis leuiticis adstrictos esse nec ab isto iugo per mitiorem Euangelii doctrinam liberatos putabant, vult PAVLLVS VI cedant ii, qui, rectius iam cognita Christianae religionis indole, umbras illas masculae abiecerant. Quare docet, discrimen ciborum plane in N. T. abrogatum, ideoque in cuiusuis arbitrio esse positum, velint illis vti an ab iis abstinere, si modo vtrumque in honorem Dei faciat. Vt autem temerarium huius libertatis abusum anteuertat: admonuerat esse istius libertatis aliquem quasi modum. Quemadmodum enim nulla est actio in se bona, quae non possit ob adiunctas, vel temporis vel loci vel alius generis περιστάσεις, peccatum fieri: Ita etiam cum adfirmat summa esse in culpa, qui rem aliquam simpliciter quidem liberam, dubia tamen aut repugnante conscientia, peragat. Ex his facile est ad intelligendum, neminem posse bene agere, nisi, actione ista, ante ipsam executionem, diligenter ad legis quasi trutinam examinata, eam legi conformem inuenerit; diserte enim omne id, quod non proficitur ἐκ πίστεως, h. e. ex certa persuasione de bonitate actionis, ἀμαρτία dicitur. Et hanc quidem veram in h. l. notionem esse vocabuli fidei, omnis orationis contextus declarat. Namque is, qui vescitur aliquo cibo ἐκ πίστεως, disiungitur a διακρινόμενος h. e. eo, qui dubiter, an sibi liceat tali cibo vti, & v. 2. is, qui ΠΙΣΤΕΥΕΙ φανερῶν πάντων, credit sibi licere cuiuscunque generis cibus vesci, disiungitur ab ἀσθενῶντι τῇ πίστει h. e. qui ea de re dubitat, qui incertus est an huiusmodi cibi vsus recte fieri possit; quemadmodum Rom. IV, 19. Abrahamus dicitur μὴ ἀσθενῶντι τῇ πίστει, qui non dubitauerit de eo quod Deus promissis a se facturus sit. Sed quamquam Paulus in h. l. proprie de fidei saluantis l. iustificantis necessitate ad bona opera non loquitur: non tamen inepta videtur multorum consuetudo, quae hoc loco ad illam necessitatem defendendam vtiat. Nam cum hic, vti diximus, non quaeratur de actionis honestate, sed de eius pretio apud Deum; atque per S. scripturae declarationem in homine, quatenus secundum corruptam naturam suam consideratur, nihil sit boni Rom. VII, 18.; huiusmodi homo non potest vere & ex animo considerare, quod a se facta placeant Deo, nec propter ea istius actiones proficiuntur ἐκ πίστεως h. e. e vera confici-

conscientia, quod sint Deo probatae. Itaque, ut ait Paulus, peccata sunt \*)).

§. IX.

Porro si *fides* intelligitur de certa persuasionem, quod S. scripti sit verbum Dei, haec fides esse necessariam ad bonum opus, nullo negotio arbitramur ostendi posse. Nempe *primum* sumimus, quod paulo post demonstrabitur, ibi vere bonum opus non esse, ubi non sit fides iustificans & saluifica; *deinde* hanc ipsam utramque fidem e solo verbo Dei existere. Posterior ab ipso Paulo Rom. X, 14. & 17. confirmatur, ubi ad fidem procreandam requirit, ut auditum fuerit verbum diuinum; cui sententiae facile subscribet is, qui rationem sibi relictam cogitauerit prorsus ignorare omnem istam salutis economiam, ac nihil quidem tenere de Filio Dei incarnato, qui sit redemptor noster, qui causam nostram gesserit & cuius obedientiam nos nobis debeamus fide propriam reddere, si vere fructum istius redemptionis reportare velimus. In sola S. S. reclusa est nobis illa atque exposita doctrina salutaris, quae etiam per solam sibi adiungentiam diuinam vim flectere hominis voluntatem ita potest, ut faciles laeto huic nuncio aures praebet. Lex enim per absolutam, quam postulat, obedientiam, naturae humanae imbecillitatem homini demonstrat, per rigorem atque minas suas partim terrorem iniicit, tristitiamque de corrupto statu, in quem per peccatum delapsus est, partim ad desperationem de suis viribus ex his malis elutandi adducit, ita ut aliud quoddam medium homo anquirere incipiat, quo cum Deo redire in gratiam possit. Homini ita haesitantem succurrit Euangelium spemque facit restituendae per Christum salutis, atque vires ad accipiendum beneficium sibi oblatum sufficit, per locum Rom. I, 16. multaque alia. Qua re differt a mere humana

B 2

sapien-

\*) In hanc fere partem pronunciat LUTHERVS noster in *resolutionibus super propositionibus suis Lipsiae disputatis*, quae extant *Opp. latinorum Ienensium* (1556.) Tom. I. p. 300. b., ubi concedit: fidem h. l. esse pro conscientia, & Apostolum loqui de iis, qui contra conscientiam operantur, & tamen monet: qui non habet fidem in Christo, eum non habere conscientiam bonam erga Deum, quia non credit firmiter, se Deo placere, cet.

sapientia, quod non modo suadeat, sed ad ea etiam, quae suadet, amplectenda, facultatem subministret. Itaque per verbum Dei generatim fides saluifica, per legem nimirum contritio, & per Euangelium fides in strictiori significatu producit. Enimvero fides saluifica non potest esse sine certa persuasione de diuina S. S. origine & doctrinarum eius veritate. Colligimus igitur ex his: Quicumque persuasus non est, S. S. esse verbum Dei, in eo fides saluifica non potest produci. Iam quicumque fide saluifica caret, in eum non cadunt vere bona opera. Ergo ubi non creditur, S. S. continere verbum diuinum, ibi non dantur vere bona opera.

## §. X.

Iam, si quis sacr. scripturarum auctoritatem diuinam probat: quemadmodum illae duo continent, mandata & promissiones, legem & Euangelium; necesse est vt vtrumque *nobis* datum credamus atque demus operam, vt *illam* sequamur, *hoc* grata mente accipiamus & his in Dei promissionibus plane acquiescamus. Vnde existit bipartita *fidei* significatio, nam fides *vel* de obedientia Dei praeceptis praestanda dicitur, *vel* de fiducia in iis, quae a Deo promissa sunt, ponenda. Quae vtraque fides quin necessaria sit ad recte facta, dubitari non potest; id quod & S. scriptura docet, in primis in nobilissimo loco Ebr. XI., & ipsius rei natura. Nam, de *obedientia*, clarum est, ipsa recte facta esse actiones eas, quae sint legi diuinac conformes, nec, vt supra monebamus, aliter Deo placere & ab ipso praemia consequi possunt, nisi propter Deum fiant f. e. vera in Deum pietate proficiantur. De *fiducia* autem, quam debemus Deo quoad promissiones suas: quo modo possemus Deum omnimode, animo, viribusque amare, quod est tamen fons & quasi basis omnis boni operis, nisi optima quaeuis ab eo speraremus ac toti acquiesceremus in eius fide? Atque hactenus fieri non potest vt sine *haec* fide placeamus Deo, nam, vt praeclare ait Paulus Apostolus Ebr. XI. 6. *oportet quemcumque, qui vult ad eum accedere, credere quoque: quod sit iis, qui quaerunt eum, hoc suam studium remuneraturus.* Sed sunt ista quidem ita perspicua, vt haud sciam an sit quisquam, qui hoc sensu fidem ad b. o. necessariam esse negauerit.

De

*de Fide tamquam fonte bonorum operum veraeque virtutis. 13*

De alia tamen quasi forma s. specie huius fidei, quae fiducia in Deum continetur, sunt qui dubitent, eiusque necessitatem ad recte facta repudient. Quare hanc oportet paullo diligentius explicare & defendere eius ad b. o. necessitatem aduersus eorum, qui dissentiunt, errorem.

§. XI.

Nempe sacra scriptura, cum loquitur de fide tamquam vnico ad salutem medio, eamque ab operibus vel virtutibus discernit, eam non collocat in fiducia in Deum quacunque, sed in fiducia de gratuita beniuolentia Dei, quam, & quatenus quidem eam, Christus nobis promeruit. Quare saepenumero dicitur πίστις εἰς Χριστόν, εἰς τὸ αἷμα Χριστοῦ, εἰς τὴν χάριν τῆς Θεοῦ διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, & alio simili modo, multis in locis, praesertim cap. III. epistolae Pauli ad Romanos v. 24 seqq. Iam cum ista fides nobis λογίζεσθαι εἰς δικαιοσύνην Rom. IV. 5., prorsus necessarium est vt id, quod Christus vel fecit vel passus est, tamquam a nobis vel factum vel susceptum habeatur a Deo; hoc enim est λογίζεσθαι ἢ πίστις ἡμῶν εἰς δικαιοσύνην. q. d. fides eius ita ponitur a Deo in rationibus, vt propter eam homo plane non porro pro debitore habeatur, s. ita Deus eum propter fidem in Christum tractat, quasi homo plane innocens ac iustus, liber ab omni culpa esset, idque ipsum praestitisset quod Christus pro ipso praestitit. Quam ob causam non vel iustus habetur vel beatitate potitur sempiterna propter illam generalem fidem, quae non dubitat de veritate vllius doctrinae vel rei in S. Scripturis propositae, etiam de morte Christi pro omnibus; sed propter fidem eam, quae & quatenus meritum Christi suum facit, & vere credit sibi a Christo gratiam Dei beniuolentiam paratam fuisse. Cuius fidei obiectum si est iustitia apud Deum, fides dicitur iustificans, sin beatitas sempiterna, saluificans; quae vtraque fides semper coniuncta est, quoniam spes vitae aeternae seungi a certitudine iustificationis nostrae non potest. Hanc vero fidem, quae iustos nos secundum Dei iudicium, & saluos reddit, necessario requiri ad vere bonum opus, omnia loca clamant, quae postea proferemus. Summa igitur sententiae nostrae de fide

14 *Declaratio & assertio doctrinae ecclesiar. euangelicarum*

tamquam fonte honorum operum & verae h. e. probatae Deo virtutis haec est: Cum Deus ad recte factum & veram virtutem non tantum requirat: vt actio honesta aut animus quomocunq; bene amorus, sed vt *prorsus* mandatis Dei vniuersis accommodata sit & actio & animus hominis; sed hominum natura ita nunc sit corrupta, vt *talem* obedientiam nullo modo praestare possint: non possunt opera hominum vel virtutes vere placere Deo, vere bona esse, vere consequi praemia, nisi Deus imperfecta opera nostra & virtutes tamquam perfecta, nosque tamquam plane iustos habeat. Itaque, cum hoc *propter nos ipsos* non possit: necesse est vt, *propter imputationem Christi meritum*, nobis perfectam iustitiam tribuat. Atqui vt haec nobis imputetur, requiritur fides ea, quam modo descripsimus. Ergo, quicumque non ornatus est *haec* fide s. quod idem est, quicumque non est regeneritus (nam *regeneratio* est fidei productio), ille non potest verum h. e. Deo plane probatum opus bonum edere nec de vera virtute sibi gratulari \*).

SECTIO II.

DE

ARGVMENTIS S. SCRIPT. QVAE DOCENT,  
QVOD FIDES SIT VNICVS FONS BONORVM  
OPERVM ET VIRTVTIS.

§. XII.

Expositis haecenus singulis propositionis nostrae partibus, breuique subiuncta illius declaratione, progredior ad ipsa argumenta, quae ad istam vindicandam duci e S. S. possunt. Arbitror enim, cum per naturam ipsam nihil de fide eiusque necessitate edocessimus, solum diuini codicis testimonio iudicari totam hanc controuersiam,

\*) Hanc sententiam nostros subicere propositioni, quam defendimus, nemini, qui Euangelicorum scripta legit, obscurum potest esse. Vide e. c. *August. Confess.* Art. XX. pag. 18., *Apolog. A. C.* Art. II. extr. & *Formulam Concord.* l. supra cit. Adde *Harmoniam confessionum fidei Reformatarum Ecclesiarum* (Geneuae 1581. 4.) Sect. IX.

versiam debere, e principis vero philosophicis eam neque in hanc neque contrariam partem posse disputari. Confugisse multos, bono quidem consilio, sed, si rem subtiliter quaerimus, non profus ad mentem Paulli, ad locum Rom. XIV, vlt. supra est demonstratum. Neque tamen nobis desunt alia loca magis luculenta, quae hoc diserte tradant: fidem in Christum vnicum fontem esse virtutis & recte factorum. Ad haec testimonia referendus est *primum* locus ille maxime memorabilis ex Epist. Paulli ad Galat. II, 17 sqq. Construunt haec verba partem disputationis Paullinae cum Petro, in qua Petrum increpat, qui, data aliqua occasione, in consuetudine cum iis, qui e gentilibus accesserant ad Euangelii doctrinam, non satis caute egerat; quum nimirum alio tempore vna cum illis cibum summisser, alio autem, quorundam ex Iudaeis conuersorum praesentia deterritus, idem facere nefas sibi duxisset. Quo quidem exemplo suo Iudaeorum superstitioni, qui praeter Euangelium, decretorum Moysicorum obligationem tanquam ad promerendam gratiam Dei necessariam acriter defendebant, nimis cedere ac e gentilibus Christianos, pro more tum vulgari contemnere videbatur, Docet igitur Paullus, per solam fidem hominem Deo reddi gratiosum, operibus vero nullam vim inesse ad iustificationem; quod vel ex eo appareat, quoniam ipse pariter atque Petrus nati Iudaei, non facti, fuissent, & nihilo tamen secius doctrinam euangelicam essent amplexi, qua re, si Iudaismo legisque obseruationi adhuc quidquam tribuissent, omnino potuissent supercedere, conf. v. 16. Hac sub lege, multi sunt, qui Paullum arbitrentur solam legem rituales intelligere, quorum vero sententiam multae premunt difficultates: primum enim legem simpliciter dicit abrogatam esse, nullo constituto inter caerimonialem & moralem discrimine; deinde sibi & Petro, licet *Phœsi* Iudaeis, (hi autem vtraque lege tenebantur.) negat salutem per legem obtinendam; denique cum *vni* fidei iustificationem nostram tribuit, vniuersae legi vim negat ad iustificandum. Offert vero se nobis accuratius in hunc textum inquirentibus Diploma propositio demonstranda: Operibus nostris vel minimum in causa salutis tribuendo omnem euerrimus christianam religionem, & ab illa, cui tanquam verae nos adiunximus, ecclesia iterum seiungimur.

mur. Hoc exprimitur v. 17. Ἐν Χριστῷ δικαιώθημεν quid sit, declaratur v. 16., idem scilicet quod ἐν πίστεως Χριστῷ. Remittunt verba haec lectorem ad superius dicta, vbi causam adduxerat Paulus, quae commotus ipse cum Petro in Christum Iesum crediderat, nempe propter infirmitatem legis ad salutem ipsis dandam; ideoque demonstrat, se contra semet ipsos pugnare, si adhuc fide cum Christo coniuncti salutem ab operibus expectarent, seque eosdem peccatores sub euangelio esse profiteri, quales sub legis disciplina a Deo habiti suoque ipsorum iudicio fuerint, nec tunc quidquam lucrari ex fide in Christum quaerendum esse. Sequentia: ἀρα Χριστός ἀμαρτίας διάνους, multi interpretes malunt de interna sanctificatione, quam de iustificatione intelligere, inter quos est THEODORVS BEZA interpres excellens inter paucos, qui horum verborum sententiam hanc esse vult: si, cum iustificati sumus, arbitramur: nos impie viuere posse s. debere, Christus foret turpis & flagitiosae vitae suaesor. Satis quidem bene, sed per contextum minus commode. Sic enim declarata a Paulo esset bonorum operum necessitas, quod tamen eius consilio non est consentaneum. Alium potius sensum Apostoli consilium requirit, qui etiam per Parallelismum confirmatur. Nam v. 21. haec verba ita reperuntur: ἀρα Χριστός δικαστὴν ἀπέθανεν, & v. 18.: Si ad abiectam, inquit Paulus, operum dignitatem denuo confugiam, παραβῆτην ἑμαυτὸν συνίστημι, me profiteor reum esse. In ipso etiam versu nostro illud: ἐπέδημεν ἀμαρτωλοὶ clarè opponitur, τῷ δικαιώσασθαι ἐν Χριστῷ, iustum haberi propter Christum. Similis autem locus, qui commentarii instar ad illustranda haec verba adhiberi potest, exstat in 2. ad Corinth. c. III. v. 6. sqq. vbi commemorat Paulus *διανομίαν γράμματος* s. ministerium legis scriptae, quam dicit ἀποκτείνειν, h. e. interitum nobis minari, quare hanc legem appellat *διανομίαν θανάτου & κατακρίσεως*, quoniam sit nuncia mortis & condemnationis nostrae coll. Rom. IV, 15. vbi hoc ita effertur: ὁ νόμος ἀγγήν (θεῶν) καταργήσεται, contra τὸ πνεῦμα, (Euangelium) inquit, ζωοποιεῖ, spem dat salutis, quamobrem ministerium N. T. est *διανομία τῆς δικαιοσύνης*, h. e. veniam peccatorum propter Christum in foro diuino impetrandam annunciat. Ac secundum hunc locum propositio ista: Χριστός ἀμαρτίας διάνους ἐστίν, hanc



hanc vim habet: quod Christus tantum cognoscendum nobis dederit peccatum, non autem gratiam diuinam adtulerit atque promiserit. Omne igitur verborum argumentum hoc fere est: „si nos, qui eam ob causam castra Christi sequuti sumus, quoniam legem ad salutem obtinendam minus comparatam, Christi vero doctrinae hanc vim quasi propriam esse intelleximus, si tamen nos, qui credimus, adhuc peccatores atque reos nos esse profiteamur, qui non possint per solam fidem iustificationem consequi, sed etiam bonorum operum beneficio: Christum quidem dicimus nos ad peccata agnoscenda duxisse, sed ex hoc malo eluctandi medium inuenisse eum, nobisque monstrasse negamus. Quod abhorret! „ (Μη γένοιτο.)

§. XIII.

Hanc consecutionem II) demonstrat Paullus per duplex argumentum v. 18. & v. 19. 20; id quod e repetita in viroque versu particula γάρ intelligitur. Dicit igitur v. 18: *Ἐι γάρ ἂ κατέλυσα, ταῦτα πάλιν οικοδομῶ, παραβάτην ἑμαυτὸν τοῦ νόμου.* Sub istis, quae Paullus diruerat (κατέλυσα), intelligit Iudaismum omnemque operum vim ad iustificationem, quod patet e v. 15. 16. vbi per transitum a iudaica ad Christianam religionem se omnem *illius* vim ad salutem sublatam declarasse dixerat. Exstruere hanc rem destructam idem est ac: rursus stabilire necessitatem legis iudaicae. *Συνιστάναι ἑαυτὸν τινι* nihil aliud est, nisi demonstrare se tamquam aliquem, conf. Rom. V, 8. III, 5. » Quodii enim ego, sic ait Paullus, quae olim diruta a me fuerant, nunc iterum exstruo, h. e. si denuo, repudiata olim lege, ad legem confugio, e cuius obseruatione salutem quaeram & iustitiam coram Deo: nonne me in eadem culpa esse adhuc dum profiteor, qua pressus olim sub Iudaeorum lege ingemiscebam? Fidei in Christum detraho, cui quidem, si ad absolutionem meam sufficere debeat, opera legis complementi instar addenda arbitror, ac legem in vim dignitatemque suam postliminio quasi restituo, quam ante, cum ad Christianam religionem accederem, hoc ipso profusus negaueram. » Vicissim v. 19. & 20. docet, si admittatur Euangelium, placere quidem bona opera Deo, sed omnium eorum pretium a sola fide ducendum esse: *Ἐγὼ διὰ νόμου νόμου ἀπέθανον,*

ἰνα Θεοῦ ἕνεκα. Τῷ νόμῳ ἀποθνήσκω non est: ita plane solum ac liberum esse, ut legem nullo modo sequi debeas; sed non amplius legi additum esse, nihil porro negotii habere cum lege, ita ut per eius observationem iustum te esse putes, vid. Rom. VII. 4. 5. 6. 14. sqq., ubi multa eodem modo de hac libertate fidelium a lege differunt. Ac ista quidem lex, cui se mortuum dicit Paulus, est lex Moisaica uniuersa, non ritus leuitici, ut supra fustus e contextu docuimus coll. Rom. VII, 1 sqq. Νόμος autem, per quem τῷ νόμῳ ἀπέθανε, qui sit, de eo duplex fertur interpretum sententia. Plerique enim, veluti ipse GROTIUS, pressiore huius vocis significationem sequentes, hunc his verbis in se quidem non contemnendum sensum subiiciunt: edocuit me lex moisaica, cuius rigorem cum virium mearum naturali tenuitate contruli, hac via haud quemquam ad salutis metam pertingere, sed alium esse mihi propositum, in quo debeat spes omnis mea futurae felicitatis residere; commotus igitur ipsis V. T. scriptis, quod ex lege non percipere poteram, solatium quaesivi ex euangelio. Sed datur alia interpretatio magis consentiens cum aliis similibus locis, quae verba διὰ νόμου de Euangelio vult intelligi; quod non deber durum aut consuetudini loquendi contrarium videri. Νόμος enim quum ebraeo מורה respondeat, in N. Testam. vsu venit, ut quaecunque doctrinam, siue promissa contineat, siue praecepta, exprimat. In cuius rei fidem multa possem ex S. S. loca proferre; de eo autem, quod מורה pro Euangelio accipiat, vnus sit instar omnium locus e Pl. CXIX, 92, ubi τῷ מורה solatium tribuit Dauides, quod impedisse dicit, quo minus malis, quibuscum confisendum ipsi fuisset, succubuerit: ubi clarum est, legem non intelligi, quae terrorem magis incutit, quam solatium affert coll. Rom. IV, 15. Eadem vocabulo τῷ νόμῳ notio saepe subest, ut Iac. I, 25. & alibi. Quid? quod vocabulum πίστεως, quod hic suppleri commode posset, alibi diserte adiicitur, e. c. Rom. III, 27. ubi νόμος πίστεως occurrit, de Euangelio haud dubie intelligendus. At ne quis putet me perperam h. l. praeferre hanc interpretationem alteri, apponam loca similia, quae verant, ac alium in sensum capiamus. Cap. III. epistolae nostrae v. 23. Paulus ait: πρὸς τὸ ἐλθεῖν τὴν πίστιν, ὑπὸ νόμου

νόμον ἐφραζόμεθα, ante quam fides proponeretur nobis, aut, si manus: ante quam Euangelium s. doctrina de fide in lucem proferretur, *sub legis custodia tenebamur.* Ecce his verbis & vero etiam dilucidius v. 25. docet: per Euangelium nos a legis feruitate liberatos esse! Porro Rom. VII, 4.: ἐθανατώθητε, inquit, τῷ νόμῳ διὰ τὸ σώματος τῆς Χρῆστῆ, h. e. eo quod Christus corpus suum in cruce immolauerit, quod certe fidei nostrae exhibetur in Euangelio; quare secundum vers. 6. istius sectionis possumus colere Deum ἐν καινότητι πνεύματος; i. e. vi Euangelii nuper nobis dati; neque enim πνεῦμα aliud quid est quam Euangelium. cum disiungatur a γράμματι, lege scripta, vt 2 Cor. III, 6 sq. Tacco alia. Vi huius Euangelii possum, addit Apostolus, ζῆν τῷ Θεῷ. *Viuere Deo est: in eius honorem vivere, vitam agere Deo dignam eique probatam;* quod locus quodam modo similis Rom. VI, 10. II. confirmat, vbi ad Christi exemplum, qui, postquam morte satis peccato secerat, in Dei honorem vixit, admonemur vt repudiatis peccatis Deo viuamus h. e. omnem vitam nostram Deo consecremus. Ac Rom. VII, 4. dicit; nos posse καρποφορεῖν τῷ Θεῷ, bonos fructus proferre Deo, cum antea, vbi ἡμεν ἐν σαρκί, i. e. sub iugo legis, (quae nobis videtur appellari σάξ, propter ea quod nullas det homini vires ad bene faciendum. coll. cap. IV, 1. VIII, 3.) cum, inquam, antea vitiosae cupiditates vim suam exferent in omnibus partibus naturae nostrae. Id vero possumus, possumus δελεῖσθαι ἐν καινότητι ΠΝΕΥΜΑΤΟΣ; quae verba modo explicauimus. Vide quam sit perspicuum, quod Paullus vi Euangelii & fidei, quam illud gignit, vniuersa recta facta tribuat! Et fiet hoc e versu sequente dilucidius.

§. XIV.

Pergit enim Apostolus v. 20. his verbis: Χρῆστῷ συνεζώσωμαι: quorum duplex admitti potest interpretatio, vna, quae Paullum vult sermonem de iustificatione adhuc persequi, altera, quae de sanctitate eum disserere hoc & seq. commate putat. Secundum priorem explicandi modum sensus hic esset: Cum Christus cruci adhaesum est, ego simul cum eo actus sum in crucem; ita Deus spectat omne quod Christus perpeffus est, quasi ipse hoc subiffem, ex-

piavit enim omnia peccata mea per mortem suam & cruciatu. Variis tamen caussis adducti potius de vitae sanctitate haec verba intelligenda censemus, vel, ut accuratius loquamur, de viribus ad recte agendum, quas nobis paravit Christus per mortem suam in cruce. Primum enim requirere hoc videtur v. 19. vbi de vita Deo digna agebatur. Deinde loco parallela id luculenter demonstrant. Quid enim potest nostro loco similis esse quam locus Rom. VI, 6. in quo Paullus de vera sanctitate vitae, quam in vniuerso illo capite commendat, ita loquitur: ὁ παλαιὸς ἡμῶν ἀνθρώπος ΣΤΗΝΕΣΤΑΥΡΩΗ, *vetus noster homo cum eo (Christo) cruci affixus est*, h. e. Christus per mortem suam in cruce vim ademit vitiositati naturali nostrae; ἵνα καταργηθῇ τὸ σῶμα τῆς ἀμαρτίας κ. τ. λ., *ut liberaremur a potestate istius quasi contexti malorum, nec porro essemus mancipia peccati*; nam καταργηθῆναι ita dici apud Paullum, de imminutione potestatis alicuius, non modo alia loca docent e. c. VII, 2. 6. Ebr. II, 14, sed verba quoque hic adiecta τὸ μὴ ἐστὶ κ. τ. λ. Eadem interpretatio loci nostri confirmatur per loca Rom. VIII, 3. 4. 2Cor. V, 15-17. & alia, quae breuitatis causa commemorasse satis est. Itemque in alio loco epistolae Pauli ad Galatas το: σαυγὲν τὴν εὐαγγέλιον dicitur de imminuenda vi peccati, quod in nobis est, vid. c. V, 24. Sed, ut ad nostrum locum reuertamur, ἢ ὅ δὲ, inquit Paullus, εἴ ἐστι ἐργά, quae sic verti debere videntur: *Viuo igitur, nempe, ut erat v. 19.: in honorem Dei, non tamen ipse ego ut olim, i. e. non viribus ipse meis me puto sancte viuere posse, s. non mea virtute vere placent opera mea Deo, quod olim arbitrabar, cum Iudaicae vel Pharisaeicae iustitiae studiosus essem, sed viuit in me Christus*, Christus est is, qui vi meriti sui facit ut ea, quae faciam, vere bona sint. vi fidei in Christum vere possum sancte viuere. Equidem non dubito fore, qui nimia putent nos licentia in interpretando vsos esse, cum plerique in illum sensum accipiant Pauli verba, ut dixerit: Christum, non tam per fidem, quam per collationem virium ad bene agendum, nos idoneos reddidisse ad sancte traducendam vitam; quamquam non desunt etiam, qui nostram in sententiam inclinent, veluti CALVINVS & ipse LUTHERVS in Commentariis suis. Quare, ut veram agnoscant interpretationem nostram, paucis efficiendum est. Nempe  
*primum*

primum illud  $\xi\eta$  ἐν ἡμῶν Χειρὸς idem est atque: ἐστὶ ἐν ἡμῶν vel κατε-  
 κει ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν, id quod sit per fidem, vt planissime dicitur  
 Ephes. III, 17., & in loco Rom. VIII, 10, qui nostri plane simili-  
 lis est, diferte dicitur: Si Christus in nobis est, quoad corruptam na-  
 turam nostram mortui quidem sumus, h. e. non habemus facultatem  
 ad recte agendum, propter peccatum (τὸ μὲν σῶμα νεκρὸν δι' ἀμαρτίαν),  
 sed quoad sanctificatam naturam s. quatenus ducimur vel regimur  
 a Spiritu S., vivi sumus i. e. idonei ad recte faciendum (τὸ πνεῦμα  
 ζωῆς διὰ δικαιοσύνης) PROPTER IVSTITIAM nempe Christi nobis  
 a Deo imputatam propter fidem; hunc enim sensum postulat v. 3.  
 & 4. Quo modo autem porro quis dubitare potest, quin recte in-  
 terpretati fuerimus locum nostrum, cum magistrum habeamus &  
 ducem Paullum ipsum, qui explicationis causa addit haec verba:  
 ὁ δὲ ὄν ζωὴ ἐν σαρκί, EN ΠΕΤΕΙ ζωὴ τῆ οὐκ τῆ Θεῆ κ. τ. λ. quae  
 verba breuiter examinanda sunt. Nempe relatiuum istud ὁ saepe  
 responderit particulis: cum, quanquam & similibus. Sic e. gr. loci  
 Rom. VI, 10. non alius sensus est, nisi hic: Cum mortuus est Chri-  
 stus cet. Vocabulum σαρξ per Ebraismum caducum quoduis, im-  
 perfectum & imbecillum exprimit, hinc modo ad corpus huma-  
 num, idque satis fragile, refertur, modo ad virium animi infirmi-  
 tatem, quatenus cernitur in legis diuinæ obseruatione atque pro-  
 pensione ad malum. Prior ille sensus placet quibusdam, & ita de-  
 bet haec phrasis  $\xi\eta$  ἐν σαρκί accipi Philip. I, 22. vbi Paulus mul-  
 tum dicit inde lucri Euangelio accessurum, si ipsum adhuc per ali-  
 quod tempus Deus iuberet esse in hoc corpore superstitem conf. &  
 I Pet IV, 2. ac Ebr. V, 7. Tunc fere hic sensus esset: Quantum  
 mihi adhuc in his terris vitae relictum est, vbi hac quasi corporis  
 mole depressa mens nequit liberius ad coelum attollere sese, sed hu-  
 mi semper defixa est. Iuvat tamen potius hic τὴν σάρκα de imbe-  
 cillitate naturali intelligere, qua vel sanctissimi ad peccandum saepe  
 auferuntur. Hanc interpretationem suadet locorum similibus  
 consensus e. gr. Rom. VII, vbi τὴν σάρκα saepe dicit de vitiositate  
 naturae nostrae, & Rom. VIII, 11. vbi τὰ θνητὰ σώματα ἡμῶν nos  
 ipsi sumus, quos vitiositas naturalis semper trahit ad peccatum;  
 quemadmodum e. VI, 13. τὰ μέλη ἡμῶν non sunt membra nostra;

sed nos ipsi, nam *παριστάμεν τ. μ. ἢ. ἢ. τ. λ.* postea dicit *π. εὐαγγ. ἢ. λ.* & Col. III, 5. *τὰ μέλη ἡμῶν* haud dubie sunt pravae libidines nostrae, ut c. II, 11. & Rom. VI, 6. *τὸ σῶμα τῆς ἀμαρτίας* non corpus nostrum, sed vitiorum quasi s. libidinum compages, vitiositas naturae nostrae. Iam huius propositionis sententia talis erit: Erisi vero ego adhuc necessitati peccandi obnoxius sum, neque in miserabili naturae meae statu omnes possum malorum illecebras fugere: *ἐν πίστει ζῶ τὸ θεῶ Θεῶ*, tamen vivo, sc. in honorem Dei, sed per fidem in Filium Dei. Quae verba plane sunt intelligenda de fide non qualibet, sed ea, quae veram iusticiam apud Deum atque beatitudinem sempiternam nobis affert, & sibi applicat meritum Christi. Namque fertur in eum, qui *me* amavit, seque ipse *pro me* morti dedit, ut pulchre loquitur Paullus. Sed satis longi iam fuimus in hoc oraculo interpretando; hoc quidem clarissimum est ex his verbis, fidem esse fundamentum, quo niti debeat omnis sanctitas, quae gloriam Dei vere promovere eique prorsus placere possit. Restat v. 21., in quo vniuersae orationis argumentum summam contrahit. Non itaque, inquit, repudio gratiam Dei in Euangelio mihi oblatam, vano istī somnio indulgens: quasi aliqua salutis meae pars vindicanda esset recte factis; hanc enim si ipsemet mihi viribus meis, legem obseruando, potuissem comparare, cui bono Christi mortem omniaque peccatorum supplicia sustinuisset?

## §. XV.

*Alter* locus, qui in hac tractatione non videtur praetermittendus, est in epist. Paulli ad Ebr. XI, 6., vbi Paullus in enumerandis iis, qui sub tempore V. T. fide sua maxime conspicui fuerunt, etiam Enochi mentionem iniicit, cuius laudes ob fidem pietatemque ipsius erga Deum demonstratam celebrat. Omnem vero hunc sermonem sic instituit, ut laudes Enochi commemoret e S. Scriptura, quae dicat eum *ἐμπροσθεν τῷ Θεῶ*, quod idem h. l. est ac: *sancte vixisse*. Docent hoc *primum*, verba archetypi ebraici, quae haud dubie ob oculos habuit Paullus; in quibus recitandis cum utatur versione Alexandrina, (quamquam illa videri poterat hic a vi verborum Ebraicorum deflectisse), patet ad hanc debere verba nostra

stra iudicari. Solent autem LXX. in interpretando consequens pro antecedente ponere, quare vertunt וַיֵּחַדֵּשׁ אֱלֹהִים (vixit secundum Deum,) per: *ἐμπέσητε* Εὐαγγ. τῷ Θεῷ, quoniam, qui ita vitam agunt, vt singulis actionibus suis Deum praesentem esse memores sint, bene possunt de diuina aduersus ipsos voluntate sperare. Quemadmodum LXX. simili modo Pl. XXVI, 3. pro Ebraico: וַיִּחַדְשֵׁנוּ בְּפָנָיו דְּעֹלָם. Atque hic sensus confirmatur per phrasin, quae sequitur apud Paulum: *ἐκζητεῖν τὸν Θεόν*, quae plane eadem est cum nostra, vt ipsa verborum consecutio docet. Enimvero *οἱ ἐκζητῶντες Θεόν* semper sunt *sancti homines*, qui iis incedunt viis, per quas fauor Dei obtineri possit, & distinguuntur hoc vocabulo a peccatoribus, qui Deum non curare dicuntur. conf. Plal. LXIX, 7. XIII, 2. Itaque dubium non est, quin τῷ ἐμπέσησιν Θεῷ eadem notio competat, h. e. vitae integritatis. Atqui ex hac sancta vira Enoch Paulus colligit istius fidem & addit: *χωρὶς πίστεως ἀδύνατον ἐμπέσησιν, fieri non potest, vt quis sine fide vere sancte viuere possit, nam credere oportet eum, qui vult ad Deum accedere* cer. h. e. qui gratiam Dei quaerit, qui cupit Deo gratus esse. Nam *προσερχομαι* profecto hanc habet significationem per clarissima loca cap. IV, 16. VII, 25. Ergo perspicuum est e loco nostro, non posse virtutem vel aliquid a nobis recte factum placere Deo, nisi adiunctam habeat fidem. Iam occurret forte nobis quispiam sic, vt hic neger fidem de fiducia in Deo, certe de fide iustificante & saluante intelligi debere; neque enim, dicer, vniuersum huius capituli argumentum illam significationem admittere, in quo potius disputetur de obedientia s. pietate Deo debita vel assensu dato dictis diuinis. At enimvero licet hoc quodam modo largiamur, (neque enim in mentem venit defendere eos, qui Apostolum velint proprie de fide saluifica loqui, vnde singulorum quorundam locorum coacta exister explicatio); certum est tamen *primum*, quod *πίστις* hic per v. I. certam persuasionem immo fiduciam de veritate eorum, quae Deus dixit, in primisque promissionum diuinarum significet. Nam vt *ἐλεγχος* est *certa persuasio*, sic *πίστια* est Ebraeorum וַיִּחַדְשֵׁנוּ, *fiducia, certa spes* in aliquo posita, quod vocabulum Ebraicum *וי* o Plalm. XXXIX, 8. &

24 *Declaratio & assertio doctrinae ecclesiar. euangelicarum*

& alibi ὑπόζωον reddunt, *Symmachus*: ἀναμονήν. Quo fit, ut hic de *obedientia* s. obseruatione legum diuinarum cogitare non possimus, praesertim cum Paullus de ἐπιζόμενοις, de sperandis, non agendis loquatur; quamquam non diffitemur Apostolum saepe in hoc capite effectus huius fiduciae commemorarare, qui sunt in obedientia. Deinde quod h. l. *fidem saluantem*, itemque *inustificantem* intelligat, cogitur ex eo, quod vult obiectum huius fidei esse Deum tamquam *μισθαποδότην*, qui nobis fidem & sanctitatem nostram remuneretur, in primis quidem in coelo; nam de eadem loquitur fide, propter quam Enochus erat, etiam sine morte, in coelum tractus. coll. vers. 5. Et tribuit *fidem*, quam h. l. commendat, illi, qui vult ad Deum accedere h. e. gratiam obtinere diuinam, quod non fit nisi per *Christum*, in quem, *tamquam Pontificem M. nostrum* credamus, id quod loca modo citata e cap. IV, 16. & VII, 25. non finunt dubitare.

§. XVI.

Neque minoris ponderis hac in causa est *tertius* locus Ioh. XV, 3-5. Continet autem aliquam partem vltimorum Christi sermonum, haud multo ante susceptam mortem ad discipulos habiturum, ad quam, ut videtur, postrema coenae calicisque sumtio ansam Christo praebuerat. Hortatur nimirum amicos suos, ut constantes in fide perseuerent, neque vilo casu a coniunctione cum magistro ac seruatore suo auelli se patiantur. In hac coniunctione tuenda si semper strenui essent, fore ut per comunicatas a Christo vires, bonis fructibus abundent, h. e. ad quoduis bonum opus reddantur idonei, eum e contrario extra communionem cum Christo sensim in sanctitate languescant, quemadmodum palmes a vite abruptus statim marcescat. Docet itaque hic locus, quid ad recte facta requiratur nimirum τὸ μένειν ἐν Χριστῷ v. 3. & 4. h. e. *fide* coniunctum esse cum Christo. Id ita intelligitur: *Primum* Christus cap. XIV, 23. dicit se cum patre mansurum esse apud eum, qui doctrinam Christi secutus fuerit, praecepta obseruauerit eius. Atqui ipse *Ioannes*, qui haec Christi verba recitat, alibi i Ioh. III, 22-24. vbi ad verba capitis XIV. Euangelii Tui digitum intendere videtur,



videtur, diserte dicit: hoc esse praeceptum Dei, quo observato fiat, ut Deus maneat in nobis: *ὡς πιστεύουσιν τῷ ὄνοματι Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὡς credamus in Iesum Christum.* Praeterea clare dicit Paullus Ephes. III, 17. Christum habitare s. esse in nobis *διὰ πίστεως* h. e. tum cum credimus. Quare cum Christus in nobis esse sine fide in eum non possit, nemo autem bene agere, nisi Christus in illo vim exferat suam, patet: sine fide neminem bene agere posse.

§. XVII.

Quod in hoc loco Iohanneo Christo in nobis praesenti tribuitur, id alibi dicitur de Spiritu sancto, ac plane substituuntur hae phrasae inter se: *Christus est in nobis*, & altera: *Spiritus Sanctus in nobis habitat*: Vide Rom. VIII, 9–11. Atque ista loca, in quibus Spiritui S. omnia bene facta tribuuntur, *quartum* continent pro sententia nostra argumentum. Nempe sunt multa loca, quae hoc diserte tradant, bona opera effici per Spiritum S. debere. Sic recte facta Galat. V, 22. nomine *καρπῶν τῆ πνεύματος* veniunt. Sic Rom. VIII, 11, dicuntur per Spirit. S. in nobis habitantem *ζωοποιεῖσθαι τὰ θνήσκοντα σώματα ἡμῶν* h. e. dicimur nos, qui, quoad naturae nostrae facultatem accipere ad bene agendum, & vers. 13. *per Spiritum τὰς πράξεις τῆ σώματος θανάτων*, i. e. subigere libidines vitiosae naturae nostrae, coll. Coloss. III, 5. Sic Rom. XV, 16. victima ea, quam Paullus Deo offerebat, cum per Evangelium gentiles adduxerat Deo, dicitur Deo probata, quoniam sit *sanctificata per Spiritum S.*, qui veram in illis sanctitatem effecerat. Enimvero hanc suffectionem virium ad recte agendum, quae *perpetuo* fiat per Spirit. S. (haec enim notio inest in illo: *Sp. S. habitat in nobis*) Scriptura plane negat irrogenitis, iisque tantum asserit, qui sint Filii Dei, vid. Gal. IV, 6. Rom. VIII, 15–17. Porro certum est adoptionem fieri per fidem, coll. Ioh. I, 12. ubi ii dicuntur ius filiorum Dei accepisse, qui in nomen Christi crediderint. Quamvis enim in contextu tantum de assensu sermo esse videri possit, quem Christo in mundum venienti negassent alii, alii praebuissent, seu de fide generali; tamen non excludi fidem iustificantem, effici ex aliis locis potest.

D

Nam



Nam Rom. VIII, 3. 4. diserte hoc tamquam primarius fructus meriti Christi adfertur, quod non amplius credentes sint necessitati peccandi obnoxii, sed possint secundum spiritum, h. e. secundum nouam indolem, quam supranaturali modo Spiritus S. animo ipsorum ingessit, viuere. Declarat ergo hic locus, credentes non posse nouam hanc praestare obedientiam, nec *πληρῶν τῶ δυνάμει τῆ νόμου* (exsequi praecepta legis,) nisi vi victimae, quam Christus obtulit. Quapropter v. i. ad iustitiam apud Deum obtinendam non modo requiritur, vt *κατὰ πνεῦμα περιπατοῦσι*, sed vt sint etiam *ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ*, h. e. fide cum Christo coniuncti. Nam de fide in Christum hoc explicari debere, docet locus Gal. IV, 29. & 26. vbi appellamur cum Christo coniuncti & filii Dei *propter fidem in Christum Iesum*. E quibus simul sumtis ita liceat colligere: si omnes verae virtutes sunt fructus Spirit. sancti, spiritus vero S. non perpetuo agat intus in iis, qui non sint filii Dei, sequitur, eos non posse veras virtutes exercere, qui non sint filii Dei. Porro: Si Filii Dei tantum sunt per fidem regeneriti, in Filios autem Dei solum cadant vere bona opera & virtutes: ii, qui eiusmodi fide carent, ideoque irrogeniti, non possunt vere bona opera & virtutes praestare, sed fides basis est omnium bonorum operum.

## §. XVIII.

*Quintum* locum inter argumenta, quae pro nostra sententia pugnant, vindicat sibi dictum illud Petri epist. I. cap. II. in primis v. 5. 6. Admonet Petrus in contextu lectores suos. vt vitam agant Euangelio, quod secuti essent, dignam, atque per assiduum verbi diuini usum semper maiora in sanctitate incrementa cupiant. vid. v. I. Et quoniam res ei erat cum Christianis, qui olim iudaei fuerant sacrificiisque adfueti, loquitur de *ἑσθίαις πνευματικαῖς*, quae in illorum locum successerint, & quas debeant Deo offerre, quibus iam in N. T. verissimo animo eum colere propositum sit. Simillimam huic adhortationem Paullus adhibet Rom. XII, 1. vbi de officio Christianorum, semet ipsos tanquam *ἑσθίαν ζῶσαν, ἀβλῶν* offerendi, loquitur, quae sit *ἐνάεστος Θεῷ*, quomodo autem Deo placeat, non addit, quod hic a Petro his verbis declaratur: *δία Ἰησοῦ Χριστοῦ*. Quod non est,

est, ut videbatur GROTIUS: *Secundum Christi praeceptum; sed: per  
f. propter Christum.* Nam v. 6. Petrus affert ad haec confirmanda  
locum, ubi is dicitur non pudeferi h. e. fidenter de Dei gratia spe-  
rare posse, *qui credit in Christum* tamquam Ecclesiae fundamentum.  
Idque confirmat ipse ille locus Ebr. XIII, quem GROTIUS arbitra-  
tur sibi fauere. Etenim cum Paullus v. 21. dicat: Deum nos ido-  
neos reddere ad omne virtutis genus, ut faciamus ea quae sibi pla-  
ceant, *per Iesum Christum*, Christum v. 20. non tamquam magistrum  
descripserat nostrum, sed tamquam *summum pastorem ovium*, qui  
*profuso sanguine suo* Deum nobis propitium reddiderit. Atque hic  
locus ad Ebraeos nos ducit in eam sententiam, ut, cum Petrus v. 6. de  
*πιστεύοντι ἐν Χριστῷ* loquitur, intelligat fidem *iustificantem & saluan-  
tem*, quae, opera nostra, faciat, ut placeant Deo. Id quod etiam  
sic potest doceri: *Primum* Rom. X, 11. eadem, quae hic leguntur,  
verba ex Ies. XXVIII, 16. citantur, cum addita aliqua explicatione,  
quae v. 13. ita traditur, ut Paullus pro *ἐ κατασχυνθήσεται* substituat:  
*σωθήσεται*, quod clare prodit fidem, *quae ducat ad salutem.* Dein-  
de Petrus Christum, in quem debeamus credere, ut opera nostra  
probenatur Deo, v. 7. appellat *λίθον προσκόμματος καὶ πέτρων σταν-  
δάλω*; in quibus verbis haud dubie est descriptio Christi, quate-  
nus ab iis, quibus salutem parauerat, repudiatus crucique affixus  
erat; conf. I Cor. I, 23. Porro tribuit ei nomen *τῆς κενυμένης γωνίας*,  
quod significat: Christum esse basin vniuersae Ecclesiae s. omnium  
qui vera in Christum fide continentur. Atqui cum S. Scriptura  
alibi I Cor. III, 11. vnicam dicat basin Ecclesiae esse Iesum Christum  
s. doctrinam de eo, perspicuum est Paullum ibi Christum hactenus  
dicere basin, quatenus erat pro nobis, pro Ecclesia, mortuus; ne-  
que enim, secundum I Cor. II, 2. arbitrabatur Paullus aliud quid do-  
cere debere, nisi Christum, *eamque crucifixum.* Ergo haec fides iu-  
stificans & saluans intelligi debet, per quem bona opera nostra, ut  
ait Petrus, Deo placeant *propter Iesum Christum*, s. propter victimam  
in cruce Deo oblatam, cuius virtute nostrae quoque victimae, quae  
recte factis continentur, gratiosae sint Deo.

## §. XIX.

Denique ad *sextum* argumentum accedimus, sumtum e doctrina de vitiositate, quae post peccatum a primis parentibus nostris commissum vniuersam penetravit naturam nostram. Per hunc lapsum adeo deiectus est homo de pristina integritate, vt omnes eius animi facultates quasi peste peccati infecti sint, atque animi nostri abhorreant a Deo & propendeant ad quancunque prauitatem. Quare haec mala arbor, vt ait Christus Matth. VII, 18, non potest vere bonos fructus proferre. Hinc vel sanctissimos viros audimus in S. S. de ista corruptione naturae suae conqueri, quae semper ad malum ipsos ferat, cum per sanctificaram naturam bonum sequi velint. De qua pugna vitiosae libidinis cum amore Dei & voluntate ipsi obediendi Paulus praesertim disputat Rom. VII, 14 sqq., qui non solum vires ad legem vere obseruandam homini naturali prorsus negat, sed diserte etiam dicit v. 22: hominem tantum posse id, quod vere bonum est, amare κατὰ τὸν ἕω ἀνθρώπων. Qui *homo interior* quis sit? merito quaeritur. Nempe repudiatis iis interpretationibus, quae vel ad animum, quoad a corpore discernitur, vel mentem ac rationem in animo intelligunt, non possumus quin interpretemur hunc *hominem qui intus est*, de nouo agendi principio, seu noua animi affectione per Spirit. S. in homine producta, de animo per Spiritum S. plane emendato. Hoc patet e loco Ephes. III, 16. vbi de assiduis precibus loquitur Paullus, quibus Deum orer, vt Ephesius det gratiam pro summa beniuolentia sua, vt per Spiritum Sanctum semper nouas vires accipiant εἰς τὸν ἕω ἀνθρώπων, h. e. vt plane noui homines fiant, vt, quemadmodum Paulus Rom. II, 28. 29. loquitur, non modo videantur boni, sed *intus* etiam & toto *animo* boni sint. & vere possint bene agere sic, vt Deo placeant opera eorum. coll. loco simili Coloss. I, 10. Atqui hoc requirit fidem 1) per Ephes. I. c. v. 17.; nam statim cum interiore homine coniungitur inhabitatio Christi, quae fiat διὰ πίστεως. 2) frequens est nomen τῆς καλλιῆς ἡλικίας de iis, qui nouam quasi vitam per regenerationem consecuti fuerunt; ad hanc vero requiritur, vt simus ἐν Χριστῷ 2 Corinth. V, 17. quae cum Christo coniunctio absque fide non potest esse, per ea, quae supra, praesertim e Gal.

Gal. III, 26. 29. commemorauimus. Si igitur fide destitutus h. e. irrogenitus ne voluptatem quidem capere potest e lege diuina, sed eidem potius aduersatur: quanto magis ad ipsam praeceptorum diuinorum executionem fides erit necessaria! Immo his omnibus addatur & hoc, quod, secundum Iac. II, 10, quicumque omnes leges diuinas seruet, contra vnā vero delinquat, omnium reus sit. Quis est vero mortalium, qui gloriari vere possit, se nihil delinquerē? Saepe officii nostri immemores, quae deberemus, non curamus, saepe quae fugienda erant, facimus, & si non consulto, inscii tamen & per praecipitantiam, vel omittendo bono, vel scelere admittendo, legem violamus. Quid ergo? Concludamus cum Paulo: Rom. III. 23. 24.: *Omnes sumus peccatores & caremus praemio a Deo sperando. Et, si volumus iusti esse, gratis HABEMUS PRO IVSTIS, propter beniuolentiam Dei, propter expiationem Iesu Christi, PROPTER FIDEM IN EIVS SANGVINEM.*

§. XX.

Ex his, quae haecenus de ratione fidei ad bona opera & virtutes exposuimus, perspicue intelligitur, grauissimam esse hanc doctrinam, eiusque defensionem multis modis necessariam. Nempe ut hoc paucis adhuc singulatim doceamus, *primum*, nisi ea admittatur, corruiat *sermo* de Fide sola faciente ad iustificationem & salutem, quod cum maxime capitale sit, eo sublato, omnis religio Christiana eueritur. Quodsi enim Operibus nostris vis inest ad favorem Dei nobis conciliandum, quid opus fuerit fide in Christi sanguinem pro nobis profusum? Et tamen Apostoli, ac praecipue Paullus, nullam doctrinae euangelicae partem maiori cum cura studioque tractant; quae si posset salua salute nostra negligi, contrarium errorem non ita castigassent. *Deinde* omnis perit certitudo de gratia ac beniuolentia diuina, quae quantum ad animi tranquillitatem, etiam in perferendis variis huius vitae miseriis, praefertim in morte & conscientiae terroribus faciat, dici vix potest. Iam statuamus salutem nostram adstrictam esse recte factis, vnde constabit, nos omnem officiorum nostrorum ambitum expleuisse, nec quidquam neglexisse, quod pro modo virium nostrarum, &

cuiusvis temporis opportunitate nobis incumberet. Contra si fata  
 nostra post mortem a sola fide pendent, nullis dubitationibus ve-  
 xati, animo imperterrito ex hac statione discedemus, cum fidei prae-  
 sentia ex signis non fallentibus possit colligi. *Tum* vero, quod ma-  
 ximum est, per negatam fidei ad recte facta necessitatem, merito  
 Christi detrahitur, Christus non est causa salutis humanae, Chri-  
 stus *σωτηρὸν ἀπέδρασε*. Hic enim erat primarius finis, ob quem di-  
 uinus ille legatus istam miserabilem sortem subiret, vt tanquam  
 Pontifex Max. noster nos placaret Deo, qui salua iustitia sua non  
 poterat nobis peccatoribus propitius esse, nedum nos praemiis ad-  
 ficere. Sed si operibus nostris aliquid in salutis negotio assera-  
 mus; neque Christo neque gratitae Dei beniuolentiae eam acce-  
 ptam referimus, futuraeque vitae bona tamquam iustam studiorum  
 nostrorum mercedem a Deo postulamus & in crimen ingrati ad-  
 uersus tantum beneficium animi incurrimus. Minuitur porro do-  
 ctrina de vitiositate naturali. Nam ab hac omnem hominis infir-  
 mitatem in rebus spiritualibus, tamquam a primo fonte, repeten-  
 dam esse, a Paulo in epist. ad Rom. latius demonstratur. Enim-  
 vero si ita possumus legi diuinæ satis facere, vt obedientia nostrâ  
 per se Deo placeat, non tanta potest esse labis naturalis vis, quae  
 inquinat omnes actiones nostras, Itaque propter peccatum origi-  
 nale non habendi sumus obnoxii irae poenisque diuinis. Fidei  
 autem necessitas si ad constituendum vere bonum opus defendat-  
 ur, esse aliquid in nobis sumitur, quod impediatur, quo minus ad  
 eam adspirare perfectionem possimus, quam legis diuinæ *ἀνεπιβία*  
 postulat. Quid dicam *denique* de inhabitante Spirit. Sanct. gratia?  
 cui omnis tribuitur sanctitas filiorum Dei; Spiritus S. enim suppe-  
 ditat conferuatque vim & voluntatem recte agendi, quaeque vt se  
 exserat singulis in casibus, dat opportunitatem, immo istius san-  
 ctitatis studium ita adiuuat, vt deficientibus Spiritus Sancti moti-  
 bus desinamus Filii Dei esse; quod ex Rom. VIII. aliisque locis sa-  
 tis superque constat. Iam si eorum etiam, qui fide carent, opera  
 aestimentur a Deo, quos tamen non perpetuo mouet ista diuina  
 vis: quid opus est ad supranaturale auxilium confugere, cum na-  
 turae vires sufficiant? Quo igitur cunque se vertant sententiae no-  
 strae

strae aduersarii, semper contra doctrinas clarissime in scripturis  
patefactas offendunt, quarum tamen auctoritatem diuinam spera-  
mus istos esse professuros. Quam si sequantur, nec suo ingenio  
vel libidine metiantur omnia; doctrinam eam, quam antea odio-  
so austeritatis nimiae nomine, traducere non dubitarunt, per ipsa  
diuina testimonia confirmatam esse non modo, sed maximi  
quoque solatii plenam intelligent.



## IO. AVGVSTVS NOESSELT

HVMANISSIMO ADOLESCENTI

CAROLO FRIDERICO REICHHELMIO

S. P. D.

*M*agnum capio fructum amoris in me TVI, cum in hac scribenda de-  
fendendaeque disputatione TVA me voluisti vel participem laudum  
TVARVM vel socium esse. Vix enim est quisquam eorum, qui meam  
disciplinam sequuntur, cuius ingenium, diligentiam, pudorem & vir-  
tutem omnem magis amauerim, idque iam ab ipso principio vitae aca-  
demicae TVAE, quo maior erat spes, fore, ut, qui plerisque ex aca-  
demiis discedentes iam tum superabas liberalium artium scientia, lo-  
cum, quam TIBI DEVS dederit, praeclare tuereris. Ac vehementer  
mibi probatum fuit consilium TVVM, hunc, quem tractasti, locum de-  
fendendi, cum & magnam habeat rationem ad vniuersam doctrinarum  
diuinarum comprehensionem, & quotidie magis ingrauescat quorundam  
intemperantia, qui, dum volunt ultra populares sententias sapere —  
quod quidem non reprehendo, si scienter, modeste ac in Theologia ac-  
commodate ad Sacram scripturam fiat, — tamen in contrarios erro-  
res incurrunt, & detrimenti magis quam adiumenti asserunt religio-  
ni

ni ac rei publicae Christianae. Nec vereor, ne has, quas ad huiusmodi accuratum examen requiro, virtutes quisquam in TVA diatribe desideret; in qua ego pauca emendavi; neque enim tantum erat otii hoc tempore, quantum optassem, neque vel opus vel satis aequum erat aliquid addere huic disputationi, qua debetis patronis TVIS, in primisque AMPLISSIMO SENATVI HALENSI diligentiam & in literis profectus probare. TV vero, MI REICHHELMI, maxime TVA virtute, hoc semper age, ut uni DEO & verae virtuti ad dicas uniuersum animum & studia TVA; nec dubita, DEVM adfuturum huius modi perennibus iisdemque religiosis studiis, ut nec TE, ita vixisse, nec alios suae erga TE beniuolentiae poeniteat. Id quod ex animo precor, meamque TIBI memoriam studiose commendo. Scrib. Halae d. VII. Iulii A. C. MDCCLXVI.

PRAESTANTISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
DOMINO RESPONDENTI

S. P. D.

CAROLVS RACHELL, S. LL. C.

SEDINO-POMERANVS, OPP.

Si ego inter tot tantasque TIBI a Praeceptoribus TVIS merito assertas laudes silerem; si cum eorum pro TVA incolumitate piis ac sinceris votis mea non coniungerem; certe hominis ingrati ac parum amici suspicionem aequaquam effugere me posse arbitrarer. Ab isto tempore enim, quo mihi tecum amicitiae vinculanectendi occasio data fuit, semper morum TVORVM castitatem, ingenii praestantiam, diligentiam atque animi candorem multa cum voluptate admiratus sum. Quam ob rem eiusmodi silentium, quod ipsae amicitiae leges interrumpi iubent, non minori reprehensione dignum mihi esse videtur, quam laudes ab adulatione inspiratae. Cuiusque accusationem hic incurrere non est quod verear; cum ista, quae dixi, testimonio & exemplo Venerando-





randorum praeceptorum TVORVM & ipso dissertationis TVAE argu-  
mento nitantur, quod TIBI tractandum sumfisti. Est enim ex isto do-  
ctrinarum ecclesiae nostrae genere, contra quas ratio humana, plus  
iusto sibi tribuens, multas semper difficultates mouere studuit; quae-  
que usque ad nostra tempora multas aduersarios habuit. Quum ita-  
que TE, amice exoptatissime, grauem istam doctrinam de fonte bono-  
rum operum optime explicuisse & ea, quae in contrarium protulerunt  
argumenta, doctissime destruxisse videam: omnino laudibus, quas  
iam consequeris, id amicitiae meae erga TE publicum testimonium  
destrahere nec potui nec volui. Quare etiam summo animi ardore  
DEVM O. M. rogo, ut studia TVA, quorum primos a TE editos fru-  
ctus sibi consecratos habere velit, felicissimo successu ornet & in sui  
nominis gloriam & patriae atque ecclesiae utilitatem prospere euenire  
iubeat. Vivas & floreas per multorum amorum spatium in hono-  
rem & gaudium honoratissimae familiae TVAE; neque amori & ami-  
citiae TVAE nunquam non commendatissimum habeas velim! Vale &  
faue. Dabam Halae Ipsis Idibus Iulii MDCCLXVI.



PRAESTANTISSIMO ET DOCTISSIMO  
DISSERTATIONIS AVCTORI

S. P. D.

FRIDERIC. NATHANAEL GRÜNDLER,

CÜSTRINO-NEOMARCH. S. L. C.

Semper adhuc felix sanctumque praedico tempus illud, quo mihi pri-  
mum contigit propior TVI notitia, & cum hac amoris TVI pignus  
pretiosissimum. Ipsae eximiae mentis vitaeque TVAE virtutes, & illi,  
qui simili hac necum delectantur fortuna, me non sine ratione ita  
sentire testantur. Multis iam splendoras illas virtutes & animi TVI  
decora explicare & pluribus eisdem singulas enarrare possem, nisi si-  
mul eo ipso illarum virtutum fere maximam, praecellaram, puto, ma-  
desiam

E.



desitiam tibi abnegasse videtur. Attamen non possum non, quin imprimis assiduam illam in perdiscendis, quas elegeras tibi colendas, scientiis grauisimis diligentiam, cuius perfectum exemplar huc usque omnibus praebuisti, & ingenuam animi integritatem, optimam illam hominis & amici notam, quae mihi inter alias virtutes clariori luce in te fulgere visa est, admirer & huic me maxime obstrictum esse profitear. Si vero certissimum est, eum, qui artibus ac scientiis ingenium excoluit mentemque omni nobiliorum virtutum genere exornauit, perfectissimo illi, quod adoramus, numini similiorem eoque simul feliciter reddi, quantum tibi eadem, qua nunc incedis, via progressuro prosperitatis gradum & quantos te fructus larga manu undique repandentem praestideo! Sit, opto, huius rei laetum omen egregium illud, quod iam praebes de solida eruditione tua, specimen, cuius & materia & ipsa tractandi ratio sibi huic videntur aptissima. Sit tibi laus inde oriunda tam dulce indefessi studii & lucubrationum tuarum praemium, quanto ego iam suffundor gaudio, dum tibi illud ex animo gratulor. Pariat tibi hoc, ut multos nominis tui & progressuum cognitores, ita non minorem eximias qualitates tuas rite aestimantium easque & te ipsum cultu & amore prosequentium numerum. DEVS ipse, qui huc usque benigne adfuit studiis tuis, adsit iis quoque in posterum, & post primum hoc publice editum eorum specimen ad futura maiora te conseruet & animum viresque suppeditet. Ne vero unquam vacillent fundamenta, quae optime posuisti, felicitatis tuae, sed corroborentur ipsaque amplifectur, nulla re impediri curet nobile illud ac ardentissimum tuum virtutis studium, nunquam occasiones & media denegat, quibus illud se prodere & praestantissimos suos effectus ostendere possit. Vota mea sincerissima incolumitatem tuam flagrantia semper a latere habebis; ipse vero magnopere mihi gratulabor, si amicam mentem tuam mihi seruaaueris: ex mea saltem parte talem nunquam non impercussam & nullo tempore, nullo irruentis fortunae impetu, labefactatam spondeo. Vale. Scripsi Halae, die XIV. Iulii MDCCLXVI.



Tb 2205

ULB Halle

3

004 716 302



f

R

no







DECLARATIO ET ASSERTIO  
DOCTRINAE ECCLESiarVM EVANGELICARVM


DE  
**F I D E**  
TAMQVAM  
**FONTE BONORVM OPERVM**  
**VERAEQVE VIRTVTIS**

QVAM  
B. C. D.  
PRAESIDE  
VIRO SVMME VENERABILI EXCELLENTISSIMO  
DOCTISSIMO  
**IOANNE AVGVSTO NOESSELT**  
THEOLOGIAE PROFESSORE ORDINARIO

FAVTORE AC PRAECEPTORE SVO  
SVMMO PIETATIS CVLTV PROSEQVENDO

DIE XVII. IVLII A. MDCCLXVI.  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIET

AVCTOR  
**CAROLVS FRIDERICVS REICHHELM**  
VCARO-MARCHICVS  
S. L. CVLTOR.



HALAE MAGDEBVRGICAE,  
APVD IOANNIS CHRISTIANI HENDELII VIDVAM. (5)